

inepta, infra v. 5. Propheta enim erat homo, nec ab omni peccati labe immunis; quamvis munere prophetico jam aliquoties functus esset. Respexit ille Seraphinorum sanctitatem, qui alis suis faciem & pedes obtegebant, ex eoque intellexit, quanta Prophetæ (qui etiam Dei minister est) sanctitas esse debeat, quam in se non invenit. Respexit quoque oraculi gravitatem, quam ex apparentis Regis magnificentia conjecit: Utraque ratio eum commovere potuit, ut polluta sua labia & habitationem inter populum immundum confiteretur. Sic alii Prophetæ Dominum sanctissimum videntes, suarum infirmitatum memores, se tanta visione indignos judicarunt. Qui enim Deum sanctissimum intuentur, eumque omnia peccata abominari advertunt, mox seipso multas impuritatibus inquinatos humiliant, & tantam Majestatem ferre recusant. Talem humilitatem conspiciamus in Ezechiele *cap. I. 28.* qui gloriam Domini iridi similem videns facie inclinata in terram procubuit: similia leges *Danielis VIII. 17.* & *cap. X. 9.* ut & *Apoc. I. 17* eodem animo Jesaias dixit: Heu mihi, perii! quod, cum homo sim impuris labiis, & inter populum labiis immundum habitem, Regem illum Jehovam, Dominum Exercituum viderint oculi mei. Tantum abest ut ex confessione ejus colligas, eum antea munere prophetico non esse functum.

§. 4.

Modus, quo Esaias Dominum vidit, exprimitur voce וָאֵרָאָה & *videbam.* Est verò visio modus, quo Deus res divinas Prophetis per præfigurationem revelavit *Num. XII. 6.* Quæritur: num Propheta oculis corporis, an vero mentis hanc præsentationem viderit? alii prius, alii posterius affirmant. Non negamus quandoque Prophetarum phantasiæ aliquam speciem esse oblatam, quæ divina virtute tantum affecerit Prophetam, quantum externa & realis rerum præsentia;